



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Animi mollities vitiosa est & pusillanimitati attribuitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

466 Proxenetæ.

go, & de parente ob prodigalitatē impio versus filios effundendo bona debita filiis. Si verò agitur ab appetitu de veniali (vt quum superflue dat ob vanā gloriam) liberalis est.

Promissionis violatio, vide supra in verbo, Perfidia.

Mediator inter negotiatores potest iniquitatem multipliciter committere.

Proxenetæ (id est mediator inter negotiatores) hoc habet familiare peccatum vt fallat vtrunque inter quos mediat, neutri dicendo integram veritatem, & vtrique saepe mentiendo. Et quia damnificare est suo genere mortale: ideo proxenetæ non contentus sua mercede, fallens vtrunque ad alterum, & peccat mortaliter, & tenetur restituere, si quid sibi appropriauit ex huiusmodi fraude: vt si dixit vni, puta venditori quòd non inuenit pretium nisi centum: & sic accipit licentiam vendendi pro centum: & dicit emptori quòd non potest minus solui, quàm centum & viginti, & sic appropriat sibi illos viginti, tenetur restituere illos viginti venditori. Tenetur enim ex officio mediatoris fideliter agere vtriusque negotium.

Animi mollities vitiosa est & pusillanimitati attribuitur.

Pusillanimitas (qua homo ex paruitate animi retrahit se à magnis operibus & honoribus suam facultatem non excedentibus, tanquam si excederēt) peccatum est, vtpote contraria virtuti magnanimitatis. Et est maius peccatum præsumptione, vtpote magis contraria virtuti, quia dissimilior est magnanimitati, vt pater. Est autem peccatum mortale, quando retrahit à magnis quæ sunt de necessitate salutis,

salutis, vt simpliciter: vt si quis ex timore peccandi post baptismum nollet baptizari aut communicare, vel in casu: vt si quis ex timore deficiendi nollet præceptum sibi officium pastorale acceptare. Nec excusatur, sed accusatur ex huiusmodi timore & ignorantia propriæ virtutis, quàm non discutit, quoniam ex his causatur pusillanimitas. Vnde Dominus in Euangelio seruum pusillanimum, qui talentum non exposuerat lucro damnauit. Quando verò retrahit ab aliis vtilibus proximo, & præcipuè saluti animarum, licet veniale sit graue, tamen est tantò periculosius, quantò sub humilitatis specie detinens animum imbibitur & radicatur perleuerans.

*Rei alienæ iniusta sententia rapina est,
& peccatum iniustitiæ.*

RAPINA (qua homo violentia iniusta accipit alienas res) peccatum est mortale: quia iniuriam infert proximo & quantum ad res, & quantum ad modum. Dicitur autem iniusta: quia si violentia iustè infertur, non est rapina: vt quum in bello iusto præda tollitur: & similiter quum auctoritate publica, iustitia existente puniuntur in rebus ciues. Sed si iustitia desit, rapina committitur tam in bello quàm in ciuitate res ciuium auferendo, publica auctoritate abutendo ad rapiendum.

Rapina differt à raptu eo quòd raptus respicit personam, rapina verò rem.

Raptus quo personæ rapiuntur iniustè, maius crimen est quàm rapina, quantò persona maior est rebus exterioribus. Et specialiter appropriatur ad raptum puellarum: quæcunque tamen personæ rapiatur, habet in se crimen raptus, & admixtam iniquitatem pro qua rapitur: quæ iuxta genus suum iudicanda est.

Ff 5

Reli-